

DE AGESILAO VERE XENOPHONTEO.

Xenophontis scripta non talia, qualia nunc legantur, e scriptoris manu profecta esse, sed additamentis cumulata ad nostram pervenisse aetatem, nemo est quin sciat. Neque vero hac solum, qua scriptor procedente tempore affectus est, iniuria virorum doctorum industria atque sagacitas eum magna ex parte liberavit, verum etiam, quod usque adhuc interpretes fugit, spuria quaedam atque subditiua inter Xenophontis scripta inventa sunt. Quaestiones autem hac de re institutae ad finem, qui omnibus probetur, nondum sunt perductae. Ut de eo libello, qui inscribitur Ἀγσίλαος, utrum vere Xenophonteus sit necne, hodie quoque disceptatur: alteri permulta esse contendunt, unde eum Xenophontis non esse intellegatur; alteris persuasum est, audacius illos iudicare quam verius. Movit autem hanc de Agesilao quaestionem, qui de Xenophonte optime meritis est, Valckenaerius,¹⁾ cum primus, etsi causas, quibus muniret sententiam suam, non satis multas protulit, Agesilaum Xenophonti eripiendum esse contendit. Cuius iudicio incitati etiam alii viri docti huic quaestioni cognoscendae operam dederunt, quorum, ut supra dixi, sententiae ut in re difficillima neque una ex parte subobscura haud coeunt: impugnarunt Valckenaerium praeter ceteros Zeunius, Baumgartenius, Weiskius, Sauppius, Schneiderus, Heilandius, Breitenbachius, qui hunc libellum ediderunt; sententiam eius comprobarunt Lennepius,²⁾ Wyttenbachius,³⁾ Wolfius,⁴⁾ Bernhardius,⁵⁾ Sieversius.⁶⁾ Quaecumque vero huc spectant collegerunt et recentibus de permultis locis sententiis prolatis hanc quaestionem valde auxerunt Beckhausius,⁷⁾ Hagenius,⁸⁾ Terwelpius;⁹⁾ sed quamquam argumentorum, quibus sententias aliorum refutare, stabilire suas ipsorum viri illi student, auctoritas et pondus iam

¹⁾ ad Herodot. l. III, 134; IX, 27; diatr. in Eur. perd. fab. rell. pag. 266; Xen. Memor. III, 3, 9.

²⁾ Phal. epist. pag. 320.

³⁾ Plutarch. op. VI pag. 266.

⁴⁾ Epistula ad Schneiderum Hellenicorum editioni ab hoc curatae praefixa.

⁵⁾ Griechische Syntax pag. 24.

⁶⁾ Griechische Geschichte pag. 205 et 337.

⁷⁾ B., de Xenophonte qui fertur Agesilao. Disst. inaug. Berolini 1863.

⁸⁾ H., quaestionum Xenophontearum fasc. I. de Xenophonte qui fertur Agesilao. Bernae 1865.

⁹⁾ T., de Agesilai, qui Xenophontis nomine fertur, auctore. Dissert. philolg. Monast. 1873.

ab aliis ¹⁾ sunt examinata et perpensa, tamen quaestio absoluta non est, cum in utraque parte, et affirmando et negando, viri illi saepissime excesserint modum. Ad hanc igitur quaestionem pro virili parte tractandam accedam.

Diiudicatur huiusmodi controversia argumentis et extrinsecus allatis et ex re ipsa petitis. Veteres autem mirum quantum consentientes Agesilaum a Xenophonte conscriptum esse ducunt, et testimonia eorum ita sunt comparata, ut ipsa non tam in sola scriptorum coniectura niti, quam sententiam proponere omnibus probatam primus aspectus doceat. Libelli autem originis Xenophontae testes afferuntur Polemo, Dicaearchus, Cicero, Corn. Nepos, Dionysius Halicarnassensis, Themistius, Plutarchus, Aristides rhetor, grammatici denique quidam posterioris aetatis. Quorum omnium testimonia cum collecta et in ordinem redacta exhibeant Heilandius ²⁾ et Hagenius, ³⁾ ad hosce delegare mihi liceat, qui hanc commentationem legunt; pauca vero addam necesse est, ne, cum taceam, consentire videar. Vellem enim emisisset Hagenius ex testimoniorum numero illud Dicaearchi, cum argumenta, quibus laudationem Xenophonteam esse iudicasse hunc efficere conatur, non satis certa sint atque firma. Idem cadere mihi videtur in Themistii testimonium. Nam cum dicat ille: „*Ἀγησίλαον δὲ οἶδα τὸν βασιλέα τῆς Σπάρτης, ὅτι Ξενοφῶν ὁ Σωκράτους ὁμιλητῆς οὐκ ὄνει ἐπαινεῖν καὶ ἀμείβεσθαι μαζοῦ βιβλίῳ*“, nescio an recte coniciat Terwelpius, magnae potius Historiae Graecae, quam huius libelli eum habere rationem. Neque minus e testium numero eiciendi videntur Dionysius Halicarnassensis et Aristides rhetor, cum et de integritate capitis, in quo verba illius huc spectantia scripta leguntur, valde dubitetur, et liber *περὶ ἀφελοῦς λόγου* conscriptus, unde petuntur haec testimonia, incertae sit originis. ⁴⁾ Haec igitur, de quibus modo dixi, testimonia auctoritate virorum, quorum nominibus feruntur, nullo modo sunt munita, neque iis ut profectis a Dionysio et Aristide licet uti; id vero in tot testium consensu pro certo potest affirmari, totam antiquitatem una quasi voce tribuisse Agesilaum Xenophonti neque quemquam de libelli integritate dubitasse. Iam videamus, utrum recte ita statuant veteres necne. Quod ut decernamus, ipsum libellum adeamus necesse est et interiores, quae vocantur, causas examinemus.

Ac primum quidem inter Agesilaum et Hellenica tanta intercedit similitudo, ut haud paucis locis in Agesilao et in Hellenicis eadem verba ad unum fere omnia legantur. ⁵⁾ Quod

¹⁾ Beckhaus, Xenophon der Jüngere und Isocrates, oder über die unechten Schriften Xenophons und die Hellenica. Programm des städt. Progymns. z. Rogasen. 1871/72. Sachse, Ueber Xenophons Agesilao. Inaug.-Dissert. von Jena. Göttingen 1875.

²⁾ praef. ed. praem. pag. 2 et 3.

³⁾ l. l. pag. 5—11.

⁴⁾ Audias velim Volkmannium (Die Rhetorik der Griechen und Römer pag. 478 adnt.) hoc de libello iudicantem haec: „Dafs hierbei — gemeint sind die *τέγναι ὁμιολογικαὶ περὶ πολιτικοῦ καὶ ἀφελοῦς λόγου* — nicht an den berühmten Aelius Aristides zu denken ist, mufs als ausgemachte Thatsache betrachtet werden.“ — Primus, quantum scio, de huius libri origine movit dubitationes Spengelius Rh. Gr. T. II. praef. pag. 19.

⁵⁾ Nimius in similitudine inter Agesilaum et Xenophontis scripta statuenda Terwelpius est, qui omnibus fere locis Cyropaediae imitatore agnoscere non dubitet, non satis secum reputans, sententiarum similitudinem facillime oriri ex argumentorum similitudine. Valet vero in hac, de qua agitur, quaestione sola verborum, non, qua ille nititur, sententiarum repetitio.

factum esse nequit nisi ita, ut Agesilai auctor depromeret hosce locos ex Hellenicis. Pervulgata enim olim opinio eorum, qui in Hellenica transmigrasse putarent, quaecunque eadem legerentur in Agesilao, hodie nemini iam placet, quippe quae haud satis muniatur causis rerum natura et ex ipso libello petitis. Haec tam magna similitudo gravissimum argumentorum est, quae Valckenaerius, ut eriperet Xenophonti encomium, proposuit, cum diceret, tam apertas suorum ipsius scriptorum compilationes consarcinationesque plane indignas esse ingenio Xenophonteo. ¹⁾ Ad hoc igitur viri docti iudicium examinandum accedamus. Ac primum quidem locos ipsos ex Hellenicis depromptos proponamus necesse est. Quod ut quam brevissime fiat, non multis verbis cum aliis iusto magis ad Xenophontis vestigia ubique inquirenda propensis concertabimus, sed ea sola proferemus, quae ex Hellenicis descripta esse nemo non possit concedere. Sunt autem haec:

Ages. I, 11	=	Hell. III, 4, 6.
„ I, 13,16	=	„ III, 4, 11—12.
„ I, 23—28	=	„ III, 4, 15—19.
„ I, 28 med.—32	=	„ III, 4, 21—24.
„ II, 2—5	=	„ IV, 3, 3—9.
„ II, 9—16	=	„ IV, 3, 16—21.

Consideranti autem hos, quos attuli, locos statim apparebit, laudatorem Hellenica ad verbum fere exscripsisse, ita quidem, ut Xenophonte interdum derelicto paucissima mutaret. Quaerendum igitur est, utrum talis librum componendi modus Xenophonti tribui possit necne. Quod qui negant non carent causis primo, ut videntur, aspectu satis magnis. Utcunque enim de Xenophontis indole atque natura iudices, sive eum appelles „capitale ingenium animumque coelestem“, sive virtutes eius facias minoris, certe neque deroges scribendi facilitatem praeclaro Anabasis auctori, neque facile inducas animum, ut ipsum illum, qui debita hac laude floreat, adeo non novam rerum speciem nobis proponere potuisse putes, ut frustula orationis laboriose undique conquireret. Neque tamen laudabit Valckenaerii sententiam qui rem accuratius consideraverit. Sane quidem non laudandi sunt, qui huic argumento ex iterationibus repetito ita vim demere posse sibi videantur, ut relegent nos ad veteres oratores, qui eadem iisdem saepe verbis tractaverint. Non satis enim reputare illi videntur oratoribus, quibus interdum ex tempore esset dicendum, si nonnulla antea memoriae mandata repetiverint, multo facilius id condonari quam Xenophonti, qui nullo urgente abundaverit otio. — Aliter Breitenbachius Xenophontis partes agere sibi videtur. Putat enim Xenophontem ad laudationem conscribendam aggressurum, ne decederet a veritate, quae olim de Agesilao scripsisset in Historia Graeca, diligenter perlegisse; quibus perlectis fieri vix potuisse, quin permulta vel insciente scriptore ex altero libro irreperent in alterum. — Miror profecto quod haec Breitenbachii sententia quorundam virorum doctorum plausu est recepta. An tu putas ei, qui summa familiaritate cum Agesilao fuerit coniunctus, qui res ab illo gestas maxima ex parte suis oculis viderit, qui denique composuerit Historiam Graecam ea mente, ut magni viri excellentisque ducis et aequalibus et posteris proponeret imaginem, ei, inquam, adeundum fuisse librum ab ipso conscriptum, ut in mentem sibi revocaret praeclara Agesi-

¹⁾ Ad Xen. Memor. III, 3, 9.

lai facta? — Ut autem Xenophontem etiam atque etiam Historiam Graecam perlegisse recte statuat ille, illud certe non reputavit, eam similitudinem, quae est inter Agesilaum et Hellenica, non posse proficisci ex Historia Graeca perlecta, sed potius exscripta. — Neglexerunt autem, quantum video, viri docti id, quod ad hanc quaestionem diiudicandam valet plurimum. Xenophontis enim Hellenica nihil aliud, ut videntur, putanda sunt, nisi commentarii consignati et collecti historiae postea copiosius et diligentius conscribendae. Quod iudicium si recte fertur — neque causam esse puto, cur obloquar doctissimis Xenophontis librorum existimatoribus satis probabile id esse dicentibus¹⁾ — vi ac pondere certe caret argumentum ex librorum similitudine repetitum. Quid est enim, quod impediverit Xenophontem, ne, cum accederet nonaginta annos natus ad laudationem scribendam, proferret notationes illas, quas in ipsius usum mandaverat litteris neque ediderat in lucem? — Frustra igitur laborant, qui efficere conantur, fieri non potuisse, ut Xenophon sua ipsius scripta exscriberet.

Quare quoniam pro certo statui posse ostendimus, parum caute Valckenaerium abiudicare encomium a Xenophonte, iam ceterorum argumentorum, quibus viri docti idem probari ducunt, vim examinemus. Sunt autem, qui locorum quorundam indolem atque naturam quam maxime favere putent sententiae eorum, qui laudationem Xenophonti abrogent. Hosce igitur locos deinceps, si placet, percenseamus.

I, 24. ἔταξε δὲ καὶ πόλεις, ἕξ ὧν δέοι τοὺς ἰππέας παρασκευάζειν, νομιζόν ἐκ τῶν ἱπποτρόφων πόλεων εὐθὺς καὶ φρονηματίας μάλιστα ἂν ἐπὶ τῇ ἰππικῇ γενέσθαι.

Hagenius scriptorem hisce verbis non solum, quae paulo ante dixerit, repetere, verum etiam sibi ipsum obloqui contendere non dubitat. Hisce autem utitur verbis: „Nonne haec iam dixit § 24 init. τοὺς μὲν οὖν πλουσιωτάτους ἐκ πασῶν τῶν ἐκεῖ πόλεων κατέλεξε — ? Quid? quod sibi ipse obloquitur scriptor? Quae enim his, quae de suo intrusit Agesilai auctor, fit aperta distinctio inter urbes eas, quae equos, et inter eas, quae equites sint comparaturae, immane quantum discrepat a superioribus, quibus omnium urbium divitibus licuisse ostenditur militia vacare, quicumque virum pro sese idoneum armis exornasset.“²⁾ Hagenius igitur apparere hoc loco putat naturam atque indolem scriptoris a Xenophonte alieni; contra Heilandius Xenophontis vituperat neglegentiam atque incuriam, ex qua iteratio illa orta sit.³⁾ Equidem neque genuinam esse duco eam sententiam, qua puerilis scriptori imputetur tautologia, neque, quae leguntur hoc loco, talia esse opinor, ut a Xenophonte profecta esse nequeant. Videntur enim mihi viri docti interpretando intulisse in scriptoris verba difficultatem, quae re vera non est. Sane non adstipulamur Breitenbachio, qui verbo

¹⁾ Sauppe, edit. stereot. Tauchn. 1866. vol. IV pag. 10 sq.

Hertlein, obs. crit. in Xen. Hell. 1841 II pag. 1 not.

Engel, Philol. XVIII pag. 248.

Bernhardy, paralipp. synt. grc. pag. 17.

Breitenbach, philol. II, 444.

Buechenschütz, edit. Teubn. III. pag. 5.

A. Nicolai, nov. ann. phil. (ed. Fleckeisen) 89, pag. 823.

Volckmar, de Xenophontis Historia Graeca comm. pag. 21 sq.

Lipsius, über den einheitlichen Character v. Xenophons Hellenica pag. 11.

²⁾ l. l. pag. 18.

³⁾ adn. h. l. adiecta.

παρασπενάζειν hoc loco non „comparandi“, sed „exercendi“ notionem inesse vult.¹⁾ Primum enim, ut taceam, nulla huius notionis inveniri exempla,²⁾ obstat, quominus probetur illius sententia, quod scripsit libelli auctor *πόλεις ἐξ ὧν*, non *πόλεις ἄς*; deinde particula *εὐθὺς*, quae est in iis, quae sequuntur, nihil temporis consumptum esse prodit in equitibus exercendis. Alia vero eaque sine dubio rectissima loci interpretandi ratio in promptu est, quam omnes libelli editores interpretesque fugisse miror. Assidua enim deliberatione persuasum habeo, dici hoc loco Agesilaum designare eas urbes, ex quibus, qui loco aliorum equis mereant, sint comparandi. Iussit autem imperator eligi hosce ex iis urbibus, quae equis alendis operam darent, cum harum urbium incolas equis merendi quam maxime cupidos futuros esse iudicaret. Hac igitur interpretatione comprobata nonne omnia aptissime coeunt?

I, 27. Laudator postquam Lacedaemoniorum in armis exercitationes firmissimum rei publicae fundamentum esse dixit, sic pergit: „*ἐπεβρώσθη δ' ἂν τις κἀκείνο ἰδὼν, Ἀγησίλαον μὲν πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὶ τοὺς ἄλλους στρατιώτας ἐστεφανωμένους τε, ὅπου ἀπὸ τῶν γυμνασίων ἴοιεν, καὶ ἀνατιθέοντας τοὺς στεφάνους τῇ Ἀρτέμιδι.*“ Inest autem hisce verbis quod virorum doctorum moverit dubitationem. Loci enim significandi notionem inesse hic particulae *ὅπου* rerum cohaerentia statuere vetamur; de tempore vero dici posse *ὅπου* Hagenius quam confidentissime negat.³⁾ Sed vereor ne in hac re nimium se praebeat vir doctus. Huius enim particulae temporalis quasi notionis exempla satis, ut mihi videor, idonea inveni haec:

Soph. Ajax 1069:

..... οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου
λόγων ἀκούσαι ζῶν ποτ' ἠθέλησ' ἐμῶν.

Ajax 1103:

οὐκ ἔσθ' ὅπου σοὶ τόνδε κοσμηῆσαι πλέον
ἀρχῆς ἐκεῖτο θεσμός ἢ καὶ τῷδε σέ.

Philoct. 443:

ὅς οὐκ ἂν εἴλει' εἰς ἅπαξ λέγειν,
ὅπου μηδεὶς ἐφῆ.

Aesch. Eum. 273:

... καὶ λέγειν ὅπου δίκη
σιγᾶν θ' ὁμοίως.

Eum. 512:

ἔσθ' ὅπου τὸ δεινὸν εὖ,
καὶ φρενῶν ἐπίσκοπον
δεῖ μένειν καθήμενον.

Agesil. VII, 1:

Ἀγησίλαος, ὅπου ᾤετο τὴν πατρίδα τι ὠφελήσειν, οὐ πόνων ὑφίετο, . . .

¹⁾ de Xen. Ag. part. I. Schleusing 1842. pag. 5.

²⁾ Hipparch. I, 19, quo loco nititur ille, huc non pertinere, ex rerum cohaerentia facile apparet.

³⁾ l. l. pag. 20.

Hisce igitur, quos attuli, locis hunc quoque, de quo disputamus, addere malim quam Hagenium sequens cogitare de libelli auctore indocto atque negligenti.

II, 24 et 25.

ἀπό γε μὴν τούτου ἐπὶ τὴν Λακεδαιμόνα στρατευσαμένων Ἀργιάδων τε πάντων καὶ Ἀργείων καὶ Ἠλείων καὶ Βοιωτῶν, καὶ σὺν αὐτοῖς Φωκέων καὶ Λοιγῶν ἀμφοτέρων καὶ Θετταλῶν καὶ Αἰνιάνων καὶ Ἀκαρνανῶν καὶ Εὐβοέων, πρὸς δὲ τούτοις ἀφροσύνην μὲν τῶν δούλων, πολλῶν δὲ περιουκιδῶν πόλεων, καὶ αὐτῶν Σπαρτιατῶν οὐ μειόνων ἀπολωλότων ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ, ἢ λειπομένων, ὅμως διεβόλαξε τὴν πόλιν, καὶ ταῦτα ἀειχίστον οὖσαν, ὅπου μὲν ἐν παντὶ πλεῖον ἂν εἶχον οἱ πολέμοι, οὐκ ἐξάγων ἐνταῦθα, ὅπου δὲ οἱ πολῖται πλέον ἔξιν ἔμελλον, εὐρόστως παρατεταγμένος νομίζων εἰς μὲν τὸ πλατὺ ἐξῶν πάντοθεν ἂν περιέχεσθαι, ἐν δὲ τοῖς στενοῖς καὶ ὑπερδεξιῶς τόποις ὑπομένων, τῷ παντὶ κρατεῖν ἂν. ἐπεὶ γε μὴν ἀπεχώρησε τὸ στρατεύμα, πῶς οὐκ ἂν φαίη τις αὐτὸν εὐγνωμόως χρῆσθαι ἐαυτῷ;

„Maxime, inquit Cauerus, in enarranda ingressione, quam Thebani in Laconicam fecerunt, res confunduntur (§ 24.) Exordium huius narrationis si spectes, de prima invasione auctor cogitavit. Deinde ipsae res gestae tam vage referuntur, ut, utram expeditionem auctor narraverit, non liqueat. Denique, si finem relationis spectes, secundam expeditionem auctor in mente habuisse videtur. Quis Xenophontem tantae confusionis auctorem iudicaverit?“ — Profecto talia non imputabit Xenophonti, nisi qui de ingenio eius iusto iniquius iudicet. Sed cernitur hac in re nimia Caueri cupiditas ubique investigandi scriptorem a Xenophonte alienum. Cogitavit sane, cum haec scripsit, Agesilai auctor de priore Thebanorum in Laconicam incursione, cum referantur hoc loco in sociorum numero Phocaeenses, quos ne alterius expeditionis participes essent, ex foederis cum Thebanis icti condicionibus recusasse Xenophon¹⁾ tradit. Idem colligas ex verbis „πρὸς δὲ τούτοις ἀφροσύνην μὲν τῶν δούλων, πολλῶν δὲ περιουκιδῶν πόλεων,“ cum Xenophon, quo Hellenicorum loco²⁾ de altera Thebanorum incursione verba facit, de servorum perioecorumque defectione nihil dicat. Hoc igitur cum recte statuatur Cauerus, in eo vehementer erravit, quod res gestas tam parum diligenter relatas esse contendit ut, utrius irruptionis scriptor haberet rationem, non esset manifestum. Quicumque enim vel leviter attigerit Historiam Graecam, certe non ignorabit, in priore sola Thebanorum irruptione Agesilaum ex urbe esse profectum. Sententiae denique finis nullum praebet indicium, ex quo scriptorem alteram incursionem respicere intellegatur, cum quae in laudatione narrantur § 25—27 annis 366 et 365 assignanda esse viri docti consentiant. Cur vero alteram Thebanorum in Laconicam expeditionem, quae laudandi Agesilai iustissimam praebeat materiam, silentio praetereat, haud difficile est ad intellegendum: noluit profecto renovare memoriam calamitosae illius ad Mantineam pugnae, quae impetum hostium gloriose propulsatum statim est secuta. Nihil igitur est, quo cum Cauero facere iubeamur.

¹⁾ Hell. VII, 5, 4.

²⁾ VII, 5, 11 sq.

VII, 5.

ἐλείνος τοίνυν, ἀγγελίας μὲν ἐλθούσης αὐτῷ, ὡς ἐν τῇ ἐν Κορίνθῳ μάχῃ ὀλίγῳ μὲν Λακεδαιμονίων, ἐγγὺς δὲ μύριοι τῶν πολεμίων τεθναῖεν, οὐκ ἐφησθεῖς φανερὸς ἐγένετο, ἀλλ' εἶπεν ἄρα · Φεῦ, ὦ Ἑλλάς, ὅποτε οἱ νῦν τεθνηκότες ἱκανοὶ ἦσαν ζῶντες νικᾶν μαχόμενοι πάντας τοὺς βαρβάρους.

Ad meras nugas descendit Sachseius¹⁾ in iis, quae hoc loco ei displicent. Talia enim scribere non posse Xenophontem efficere sibi videtur hisce: „Dafs Xenophon, der Anföhler der Zehntausend, nicht so etwas geschrieben haben kann, ist an sich einleuchtend; er musste wissen, dafs eine Schlacht, in der auf der einen Seite nur 8, auf der andern fast 10 000 Mann fallen, eine reine Unmöglichkeit ist.“ Haec sententia prorsus mihi videtur esse reiicienda. Verborum enim, de quibus agitur, consilium in eo positum est, ut summus Agesilai erga omnes Graecos amor fiat manifestus. Itaque cum Agesilai de victoria ab hostibus reportata laetitiam quod excitet maxime idoneum sit id, quod Lacedaemoniorum in proelio isto ceciderunt perpauci, hoc profert laudator, sociorum cladis mentionem non facit. Cernitur enim singularis Agesilai erga omnes Graecos amor imprimis eo, quod non gaudet ne eo quidem proelio inter Graecos commisso, in quo ipsius popularium octo tantum obierint mortem. Quid igitur? ne arguar iudicii petulantiae num mihi verendum est, quod Sachseium rerum cohaerentiam prorsus non respicere contendam?

Hi sunt loci, quorum indole atque natura apparere quidam putant, laudationem a Xenophonte non esse conscriptam. Argumentorum autem, quibus illi nituntur, vi accuratius examinata pro certo potest contendī, qui ita statuunt iudicare temere, neque esse in illis locis, in quo recte haereas.²⁾

Restat ut disputemus de tertio argumento, quo qui Xenophonti laudationem eripiunt, sententiam suam comprobare confirmarique ducunt. Investigandi enim subtilitate atque sollertia evicisse illi sibi videntur, permulta esse in Agesilao, quae aperte pugnent cum Hellenicis. Sed priusquam ad singula accuratius examinanda accedamus, nonnulla de iudicii, quam hac in re sequemur, universa ratione videntur praemittenda.

Ac primum quidem in conscribendo encomio rerum gestarum enarrationem Xenophonti haud magnae curae fuisse primus libelli aspectus docet. Ita enim laudatio bipartita est, ut prioris et minoris partis (c. I. II.) argumentum versetur in rebus gestis breviter angustaque proponendis, altera et maiore parte Agesilai mores virtutesque plurimis copiosissimisque celebrentur verbis. Quod autem ipse libellus docet, idem indicat Xenophon. Nam, ut maxima ex parte ex Hellenicis deprompta esse, quae priore illa parte continentur, praeteream, verba, quibus transit scriptor ad Agesilai virtutes laudibus efferendas, ita comparata sunt, ut transire orationem quivis sentiat ad maiora gravioraque. Verba autem haec sunt: „τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐ τεμνήριον προσδεῖται, ἀλλ' ἀναμνήσαι μόνον ἀρετῆ· νῦν δὲ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἀρετὴν περιάσομαι δηλοῦν.“ (c. III, 1.) Atque haec parva neque eiusmodi sunt, ut multum iuvent ad hanc quaestionem diiudicandam; cognoscite reliqua. Quaeritur enim, quanta in rebus enarrandis laudatori utenda sit accuratio. Cavendum autem est, ne laudatorem

¹⁾ l. l. pag. 28.

²⁾ Adde quae rectissime hac de re disputat Stahlus Philol. Anz. XVI pag. 42.

partes agere putemus rerum scriptoris neve libertatem eius circumcludamus terminis aequo angustioribus. Permittamus enim laudatori necesse est, non solum cuius facta praedicet, ei soli tribuere, quod praecipua eius opera perpetratum sit, et silentio praeterire, quae rebus ab ipso gerendis faverint, quae obstiterint, de industria proferre, verum etiam oratorum more persuadendi et commovendi causa res pro loci consilio in melius vel in deterius augere. Quam veniam cum concedimus laudatori, idem statuimus, quod statuerunt veteres. Ut iam Tisias, parens ille atque auctor artis rhetoricae, licere dicit¹⁾ laudatori *τὰ μικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα μικρὰ φαίνεσθαι ποιῆν*, quod iudicium Isocrates or. XI, 4 hisce approbat verbis: „*δεῖ τοὺς μὲν εὖ λέγειν τινὰς βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς ἀγαθῶν τὰ προσόντα ἀποφαίνειν.*“ Neque vero solum *ἀνῆξιν* illam, quae vocatur, condonant veteres laudatori, verum etiam petendi argumentum copiamque laudandi ex rebus fictis et quae accedant tantum ad veritatem ei faciunt potestatem. Quam in rem gravissimum laudare possum auctorem Aristotelem, qui Rhet. I, 9 p. 36 haec dicit: „*ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεργος τοῖς ὑπάρχουσιν ὡς ταῦτ' ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον καὶ πρὸς ψόγον.*“ Anaximenes vero, quae sit laudationis materia, c. 3 p. 186 hisce significat verbis: „*ἔστιν ἐγκωμιστικὸν εἶδος προαιρέσεων καὶ πράξεων καὶ λόγων ἐνδόξων ἀνῆξις καὶ μὴ προσόντων συνοικείωσις.*“ Neque abhorret illud a Xenophontis indole atque natura. Quamquam enim immerito obicies huic scriptori, quod consulto et dedita opera unquam falsa tradiderit, tamen etiam eos nimios esse constat, qui candidum Xenophontis veri amorem praedicantes animum eius ab ira et studio prorsus alienum fuisse putent. Quod cum in ipsis Hellenicis ita manifestum sit, ut quorum hisce in rebus intellegens est incorruptumque iudicium, Xenophontem gravissimis verbis castigare minime dubitent, nihil profecto offensionis habet in hoc libello, qui Agesilai laudatio potius sit quam vitae descriptio. — Addenda denique hisce, ut videntur, pauca sunt de Hellenicorum natura. Xenophontem enim Historiam Graecam neque, ut ederet in lucem, conscripsisse, neque eadem, qua alia opera, accuratatione et diligentia emendasse ac perpolivisse viri docti iudicant atque consentiunt. Itaque cum Hellenica et argumento et oratione primae festinantisque manus aperta prodant vestigia neque contineant nisi adumbrationem quandam rerumque notationes nec plenas nec compositas, certe, qui quidem prudens sit, quod in rebus gestis enarrandis dissideat interdum laudator ab Hellenicis nihil mirabitur. — Accedit quod est gravissimum. Xenophon enim, cum conscriberet Hellenica, diligentia et accuratatione ita non est usus, ut in ipsis illis quae inter se pugnant²⁾ memoriae tradat, neque sub finem libri, quid paulo ante ipse iudicaverit, curet. Quid igitur? cum a Xenophonte in uno eodemque libro de eadem re tam diversa iudicia fieri cognoverimus, sententiarum repugnantiam, quae inter duos eiusdem scriptoris libros intercedat, nonne multo magis faciliusque tolerari posse putabimus? — Quibus praemissis iam singula fusius tractemus. Ut autem augeatur disputationis perspicuitas, hunc sequemur ordinem, ut primum verba faciamus de iis Agesilai locis, quos cum Hellenicis pugnare falso statuunt viri docti, tum disse-ramus de iis, qui, si modo fugiantur vana interpretandi artificia, cum Historia Graeca non satis congruant.

¹⁾ Plat. Phaedr. p. 267 B.

²⁾ Hell. VI, 5, 28 et VII, 2, 2.

I, 6: ἄρτι δὲ ὄντος αὐτοῦ ἐν τῇ ἀρχῇ, ἐξηγγέλη βασιλεὺς ἰ Περσῶν ἀθροίζων καὶ ναυτικὸν καὶ πεζὸν πολὺ στράτευμα ὡς ἐπὶ τοὺς Ἑλληνας.

Offendit hoc loco Rankius ¹⁾ in eo quod, cum Hell. III, 4, 1 propter classem a Persis paratam Agesilaum in Asiam profectum esse bellumque illis intulisse legamus, hic classi pedestres quoque copiae adiciuntur, quas coactas esse quominus putemus ipsas res postea gestas obstare censet. Sed, ut mittam, quod parum respicit Hellenicorum naturam, fugit virum doctum, quod posteriore laudationis loco (§ 11) Tissaphernes indutiis perpetratis magnas copias arcessivisse dicitur a rege Persarum. Indutias vero petivit ille ab Agesilao propterea quod, cum Lacedaemoniorum naves spe celerius ad Asiam essent appulsae, copiae Susis comparatae nondum aderant. Porro idem non debebat vituperare, quod hoc loco Spartam nuntiatum esse dicitur, Persas bellum illaturos esse Graecis. Sane quidem Hell. III, 4, 1 qui nuntium affert nescire se fatetur, quaenam expeditio Persis in animo sit; sed cur laudationis verba cum hisce non concinere dicantur, prorsus non intellegitur. Significatur enim particula ὡς verbis ἐπὶ τοὺς Ἑλληνας praeposita indicari non tam certum manifestumve Persarum consilium, quam id, quod in animo hosce habere opinatur, qui de belli comparatione Lacedaemonios certiores facit. — Neque premendum denique est vocabulum Ἑλληνας, cum iis temporibus Lacedaemonii gloriae auctoritatisque culmen adepti Graeciae tenerent principatum.

II, 7: ἀλλὰ μᾶλλον τὰδ' αὐτοῦ ἄγμαι, ὅτι πληθὺς τε οὐδὲν μείον, ἢ τὸ τῶν πολεμίων, παρεσενάσατο.

Perhibetur hoc loco Agesilai exercitus non minor fuisse quam hostium, quod idem firmatur verbis, quae paulo infra (§ 9) leguntur, hisce: „ἐώρων δὲ τὰς τε θάλαγγας ἀλλήλων μάλα ἰσομέγους, σχεδὸν δὲ καὶ οἱ ἱππεῖς ἴσαν ἐκατέρων ἰσοπληθεῖς.“ Recedere autem Hagenio ²⁾ laudationis auctor a Xenophonte propterea videtur, quod Hell. IV, 3, 15 leguntur haec: „πελαισῖαι γε μὲν πολλῶ πλέονες οἱ μετ' Ἀγησιλάου.“ — Sed, qui rem paulo accuratius consideraverit, certe mecum consentiet nihil inesse his verbis, in quo recte haereas. Nam, quod dicitur Agesilaus milites levis armaturae plures habuisse quam hostes, acies vero numero copiarum fuisse pares, haec facillime ita conciliantur, ut ab hostibus Agesilaum superatum esse statuas militibus gravis armaturae.

II, 9: διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην· καὶ γὰρ ἐγένετο οἴαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν.

Deprompsit haec laudator ex Hell. IV, 3 9. Falsa autem sunt atque futtilia, quae disputat de hoc loco Hagenius. ³⁾ Putat enim, cum Xenophon maiorem Hellenicorum partem confecisse certe putandus sit proelio ad Mantineam nondum commisso, verba illa in Historia Graeca describendae pugnae Coronensi praemissa nihil habere offensionis; sed in laudatione,

¹⁾ Beckhaus dissert. inaug. pag. 3 sq.

²⁾ l. l. pag. 38 et 39.

³⁾ l. l. pag. 12 et 54.

mortuo Agesilao conscripta, ne rhetorica quidem exaggeratione haec de eadem pugna praedicare posse Xenophontem, qui pugnae Mantineensis momentum quanti faciat, hisce declaret verbis: „*συνεληλυθυίας δὲ σχεδὸν ἀπάσης τῆς Ἑλλάδος.*“ — Sed quae profert vir doctus, quamquam multorum accepta sunt plausu, satis mihi videntur mira. Sane quidem proelio Mantineensi minores copias manus conseruisse quam Coronensi ne putemus, ipse prohibet Xenophon, cum illius pugnae descriptioni iis verbis, quae supra commemoravimus, finem faciat. Sed *οἷαπερ* vocem usurpari hoc, de quo agitur, loco de numero militum idemque valere quod *ὄσηπερ*, ipsa loci cohaerentia, quae est in Hellenicis IV, 3, 16, putare vetamur. Multitudine enim militum enumerata rerum scriptor suo more et, quae exposuit, comprehendendo absolvit et iis, quae sequuntur, praeposit argumentum. Hisce autem utitur verbis: „*ἡ μὲν δὴ δύναμις αὐτῆ ἀμφοτέρων · διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην · καὶ γὰρ ἐγένετο οἷαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν.*“ — Itaque, cum ipsa pugna opponatur quodammodo certantium multitudini, neque putandus sit scriptor stultissimum in modum, quae modo absolverit, repetere, statuamus necesse est, verbis *καὶ γὰρ ἐγένετο, οἷαπερ οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν* alteram, qua ad describendam pugnam impellatur scriptor, proferri causam. Repetivit autem eam scriptor ex ipsius pugnae, ut ita dicam, cursu atque exitu. Quodsi, quin *οἷα* vox hac notione praedita sit, dubitari minime potest, nihil est, cur Hagenium aliosque sequentes dissidere laudatorem putemus a rerum scriptore. Lege quaeso, quae de utraque pugna memoriae tradidit Xenophon, iam intelleges, quid differat inter Mantineense et Coronense proelium. Illo enim, si credas Xenophonti, haud acriter pugnatum est; hoc tanta facta est strages, ut profuso sanguine rubesceret solum; illud fuit tam anceps, ut utrumque positus tropaeis neque Lacedaemonii neque Thebani finibus opibusve augerentur; hoc adeo non fuit incertum, ut praeclarissima victoria parta soli Lacedaemonii tropaea ponerent, milites se coronarent, tibicines canerent tibia. — Quid igitur? laudatio pugnare cum Hellenicis numquid putanda est?

II, 10: *ὡς δὲ τριῶν ἔτι πλέθρων ἐν μέσῳ ὄντων, ἀντιξέδραμον ἀπὸ τῆς Ἀγησιλάου γάλαγγος ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει. ἦσαν δὲ οἷτοι τῶν τε ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένων καὶ τῶν Κυρῆων τινές, καὶ Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολεῖς καὶ Ἑλλησπόντιοι ἐχόμενοι.*

Movet Hagenio¹⁾ dubitationem, quod inter mercennarios Herippidae curae mandatos refert laudator copias quoque *ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένους*. Milites enim ita significatos Lacedaemonios esse et ex addito illo *ἐξ οἴκου* et ex Hell. IV, 3, 15 satis superque apparere. Recensentur autem hoc Hellenicorum, quo nititur Hagenius, loco copiae, quae Agesilao in pugna Coronensi praesto fuerunt, hisce verbis: „*σὺν Ἀγησιλάῳ δὲ Λακεδαιμονίων μὲν μόρα ἡ ἐν Κορίνθον διαβάσα, ἡμῶν δὲ μόρας τῆς ἐξ Ὀρχομενοῦ · ἔτι δὲ οἱ ἐν Λακεδαίμονος νεοδαμώδεις συστρατευσάμενοι αὐτῷ · πρὸς δὲ τούτοις οὗ Ἡριππίδας ἐξενάγει ξενικῶν.*“ „Qui igitur, inquit Hagenius, Lacedaemonii νεοδαμώδεις profecti sunt cum Agesilao, non possunt dici *ξεναιεῖσθαι* ab Herippida.“ — Quae hisce probare studet vir doctus ut laudemus, a nobis non possumus impetrare. Sane quidem ita non recte adverseris Hagenio, ut statuas verbis *ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένων* significari milites ex Asiae urbibus

¹⁾ l. l. pag. 39.

Agesilaum comitatos, quoniam Asiaticarum urbium copiae seorsum memorantur. Sed altera eaque haud violenta interpretandi ratione res ad liquidum perducitur. Nihil enim obstat, quominus putemus verbum *ξαναγεῖν* hoc loco notione paulum amplificata ita usurpari, ut valeat idem atque „imperare, praeesse.“ Insciens autem laudator hoc verbo tali vi praedito utitur de Herippida, quippe qui sit mercennariorum dux. — Quod si mecum probas, nihil offensionis ne id quidem habet, quod, cum Hell. IV, 3, 20 Herippidas ab Agesilao praefectus esse dicatur omnibus Cyriis, Agesilai auctor de paucis loquitur. Acies enim in illo proelio nescio an ita fuerit instructa, ut alteri Cyriorum parti alter praesesset dux.

II, 17: *ἐκ δὲ τούτου κατανοήσας τοὺς Ἀργεῖους τὰ μὲν οἴκοι καρπονομένους, Κόρινθον δὲ προσειληγότας, ἡδομένους δὲ τῷ πολέμῳ, στρατεύει ἐπ' αὐτοὺς καὶ δηρώσας πᾶσαν αὐτῶν τὴν χώραν, εὐθὺς ἐλείθην ὑπερβαλὼν κατὰ τὰ στενὰ εἰς Κόρινθον, αἰρεῖ τὰ ἐπὶ τὸ Λέχαιον τείνοντα τείχη.*

Perperam de hoc loco iudicat Rankius.¹⁾ Aegre enim fert, quod hisce verbis uni tribuantur Agesilao, quae Hell. IV, 4, 19 praedicentur de Lacedaemoniorum exercitu — quasi non liceat laudatori conferre in Agesilaum, quae ipso duce sint perpetrata.

II, 22: *εἰρῶν δὲ ἀποτεταφρευμένα καὶ ἀπεσταυρωμένα ἅπαντα ὑπερβὰς τὰς Κυνὸς κεφαλὰς ἐδήον τὴν χώραν μέχρι τοῦ ἄστεος, παρέχων ἐν τῷ πεδίῳ καὶ ἀνὰ τὰ ὄρη μάχεσθαι Θηβαίοις, εἰ βούλοιντο.*

Cernitur nimia Hagenii²⁾ cupiditas in iis, quae de hoc loco disputat. Argumentum enim, ex quo laudationem Xenophontis non esse appareat, praebere ei videntur verba „εἰρῶν δὲ ἀποτεταφρευμένα καὶ ἀπεσταυρωμένα ἅπαντα,“ cum Hell. V, 4, 38 scripta legantur: „εἰρῶν κύλιψ τὸ πεδίον καὶ τὰ πλείστον ἄξια τῆς χώρας.“ Sed talia facillime condonat laudatori, quicumque aequo utitur iudicio. — Male deinde vituperat idem, quod hoc loco laudator Agesilaum superasse dicit Cynoscephalas, qui sit vicus prope Thebas situs. Talia enim sine dubio eiusdem esse non posse, qui Hell. V, 4, 41 Agesilaum profectum esse tradat δι' ἐρημίας. Sed haec Hellenicorum, ex quibus argumentum repetit ille, significant non tam loca deserta, quam loca ab hostibus non custodita;³⁾ quod iudicium, qui respicit rerum cohaerentiam, facere non potest quin probet. — Non minus futilia sunt, quae idem colligit ex verbo *ὑπερβαίνειν*. Nam, cum Cynoscephalae Thebanae procul dubio fuerint colles, commutare tamen laudatorem Thebanas Cynoscephalas cum Thessalicis, qui colles fuisse saepissime perhibeantur, non dubitat contendere. At verum docet ipsum Cynoscephalarum nomen, quippe quod satis, ut mihi videtur, indicet vicum illum situm fuisse in collibus. Iniuria denique offendit Hagenius in eo, quod Agesilaus, quem semper viam,

¹⁾ Beckhaus, disst. inaug. pag. 8 et 9.

²⁾ l. l. pag. 54—56.

³⁾ Cfr. quae adnotat Stahlus ad Thucyd. VI, 85, 3 *βίαι ἢ καὶ κατ' ἐρημίας*, vi aut etiam nullo resistente. Significatur enim *ἐρημία τῶν κωλυσόντων* (Dem. IV, 49.), quo sensu vocabulo usus est Dem. III. 27. Ita recte interpretatus est Class.

quae est per Cithaerone, ingressum esse diserte tradat Xenophon Hell. VI, 4, 5, hoc loco transgressus esse perhibetur Cynoscephalas. Aptissime enim haec ita coeunt, ut statuamus Agesilaum, cum Cithaerone superato Boeotiae partes ad meridiem vergentes fossis vallisque circumclusas esse vidisset, Cynoscephalas transgressum esse, ut impetu a septentrione faciendo incautos hostes opprimeret. Huic autem sententiae plurimum accedit commendationis ex Hellenicorum verbis „στρατοπεδούμενος ἄλλοτε ἄλλῃ.“

II, 23: ἐπεὶ δ' αὖ τῆς ἐν Λεύκτροις συμφορᾶς γεγενημένης, κατακαίνοσι τοὺς ἐν Τεγέᾳ φίλους καὶ ξένους αὐτοῦ οἱ ἀντίπαλοι, σὺν Μαντινεῦσι συνεστηγότων ἤδη Βοιωτῶν τε πάντων καὶ Ἀρκαδῶν καὶ Ἡλείων, στρατεύει σὺν μόνῃ τῇ Λακεδαιμονίων δυνάμει.

Dissidere in hac re enarranda laudatorem efficere studet Hagenius ¹⁾ a rerum scriptore. „Res, inquit, narratur in Hell. VI, 5, 12 sq. Sed Thebani post Agesilai demum expeditionem sese coniunxerunt cum Mantineensibus atque Eleis, quod diserte firmatur loco Hell. VI, 5, 19: οἱ μέντοι Μαντινεῖς οὐκέτι ἐξήσαν· καὶ γὰρ οἱ Ἡλείοι συστρατοπεδούμενοι αὐτοῖς ἔπειθον μὴ ποιῆσθαι μάχην πρὶν οἱ Θηβαῖοι παραγένοιντο. Ipso Agesilao domum profecto ex Tegeatarum finibus, venerunt Thebani: § 22 ἐπεὶ δὲ οἱ Θηβαῖοι βεβοηθητότερας παρῆναι ἐλέγοντο εἰς τὴν Μαντινείαν, οὕτως ἀπαλλάττονται (οἱ Μαντινεῖς) ἐκ τῆς Ἡραίας καὶ συμμιγρύνουσι τοῖς Θηβαίοις.“ Quae hisce profert ille, non dubito quin sint reicienda. Nihil enim inter se pugnant laudator et rerum scriptor, si *συνεστηγέται* valere statuitur „societate foedere coniunctum esse cum alq., ein Bündnifs haben, im Bunde stehen mit jmd.“ qua notione praeditum saepissime legitur ²⁾ hoc verbum. Dicit igitur laudator omnes Boeotos foedus iam fecisse cum Mantineensibus, non iam aggregasse sese foederatorum exercitui illos contendit.

IV, 6: διδόντος δ' αὐτῷ πάμπολλα δῶρα Τιθραύστου, εἰ ἀπέλθοι ἐκ τῆς χώρας, ἀπειρίνατο δ' Ἀγισίλαος, ὅτι Τιθραύστα, νομίζεται παρ' ἡμῖν τῷ ἄρχοντι κάλλιον εἶναι τὴν στρατιάν, ἢ ἑαυτὸν πλουτίζειν, καὶ παρὰ τῶν πολεμίων λάφυρα μᾶλλον πειρᾶσθαι ἢ δῶρα λαμβάνειν.

Nimum se praebet Hagenius, ³⁾ quod hoc loco offendit. Contendit enim Xenophontem prorsus alia atque laudatorem hac de re referre Hellenicorum ⁴⁾ verbis hisce: „ἐκείνῳ μὲν δὴ ὁ Τιθραύστης δίδωσι τριάκοντα τάλαντα, ὁ δὲ λαβὼν ἤει ἐπὶ τὴν Φαργαβάζου Φοργίαν.“ Sed qui paulo altius in rem inquisiverit, certe mirabitur Hagenii iudicii perversitatem. Rerum enim cohaerentia haec est. Tissapherne interfecto Tithraustes, qui in locum eius successerat, a Persarum rege Agesilao pacem offerre iubetur ea condicione, ut Graecae urbes in Asia sitae autonomia utantur, non liberentur tributis Persarum regi solvendis. Respondente autem Agesilao, tantae rei arbitrium non esse penes se solum, Tithraustes ab eo petit,

¹⁾ l. l. pag. 43.

²⁾ Thuc. I, 1, 1; VI, 85, 3.

³⁾ l. l. pag. 53.

⁴⁾ Hell. III, 4, 25.

ut, quoad edoctus sit de Lacedaemoniorum voluntate, armis discedat atque in Phrygiam proficiscatur. Quod propositum ita accipit Agesilaus, ut Tithraustes pecuniam solvat, qua in itinere illo exercitui praebeantur cibaria. Optime igitur laudationis et Hellenicorum verba coeunt. Hic enim sermo est de talentis in usum exercitus convertendis, illic de pecunia, qua ipse ditetur rex; hic accepisse Agesilaus dicitur, quae ei ex stipulatione deberentur; illic laudi ei tribuitur, quod, ne acciperet dona, recusavit.

VII, 5: *ἐκείνος τοίνυν, ἀγγέλιας μὲν ἐλθούσης αὐτῷ, ὡς ἐν τῇ ἐν Κορίνθῳ μάχῃ ὀλιγὸν μὲν Λακεδαιμονίων, ἐγγὺς δὲ μύριοι τῶν πολεμίων τεθναῖεν, οὐκ ἐφησθαις φανερὸς ἐγένετο, ἀλλ' εἶπεν ἄρα· Φεῦ, ὦ Ἑλλάς, ὁπότε οἱ νῦν τεθνηκότες ἱκανοὶ ἦσαν ζῶντες νικᾶν μαχόμενοι πάντας τοὺς βαρβάρους.*

Maxime mirum est quod Hagenius¹⁾ hisce verbis evinci opinatur, Agesilaum, cui per Macedoniam proficiscenti victoriae nuntius allatus sit²⁾, laudatoris sententia proelio ad Corinthum commisso interfuisse. Huic enim sententiae laudationis verba adeo non favent, ut potius obstare videatur illud „ἀγγέλιας μὲν ἐλθούσης αὐτῷ.“

Neque minus displicent, quae disputat his de verbis Sachseius³⁾. Putat enim, qui scripserit Hell. IV, 3, 2 „ἀρ' ἂν, ὃ Δερικλλίδα, ἐν καιρῷ γένοιτο, εἰ αἱ ξυμπέμπονσαι πόλεις ἡμῖν τοὺς στρατιώτας τὴν νίκην ὡς τάχιστα πύθονται,“ eundem praedicare non posse Agesilaum victoria nihil gavisum tot Graecorum mortem deplorassee. At quae leguntur in Hellenicis non tam laetitiam Agesilai, quam prudentiam produnt, neque ex eo, quod victoria ab hostibus reportata utitur ad corroborandos sociorum animos, efficitur, eum Graecos inter se adversari non dolere.

X, 4: *ἀναμάχητος ἐτελεύτησε*

Non consentire hoc loco laudatorem cum Xenophonte Valckenaerius⁴⁾ his significat verbis: „Qui sub nomine Xenophontis Agesilaum laudavit, talem illum finxit. In edit. Hutchinsoni pag. 80 *ἀναμάχητος*, inquit, *ἐτελεύτησε*, quem Xenophon in Hellenicis ut virum egregium miratur, hominis tamen atque imperatoris peccata commemorare non praetermisit: ut unum de multis attingam, vide *Ἑλλ. L. V. pag. 333, 29.* quaeque illic sequuntur et pag. 334.“ Quod viri docti iudicium qui probant nescio an nimia, ne dicam inepta, subtilitate scriptoris verba aurificis statera examinent, nulla, quam debent, laudationis naturae ratione habita.

Haec habeo quae disputem contra Valckenaerium, Beckhausium, Hagenium, alios.⁵⁾

¹⁾ l. l. pag. 48.

²⁾ Hell. IV, 3, 1.

³⁾ l. l. pag. 28.

⁴⁾ diatr. Euripid. pag. 266.

⁵⁾ Non magis probari posse, quae de locis quibusdam laudationis profert Roquettius (De Xenophontis vita. Königsberger Dissertation 1884), ex iis apparet, quae illi adversatus disputavit Stahlius Philol. Anz. XVI. pag. 41—43.

Jam ut sequamur ordinem propositum, recensendi sunt ii loci, quos cum Hellenicis pugnare viri docti recte videntur iudicare.

II, 20: *μετὰ δὲ ταῦτα προθύμων ὄντων τῶν Ἀχαιῶν εἰς τὴν συμμαχίαν καὶ δεομένων συστρατεύειν αὐτοῖς εἰς Ἀκαρνανίαν . . .*

Hisce verbis Achivi dicuntur parati fuisse ad societatem cum Lacedaemoniis ineundam eosque, ut auxilio sibi venirent bellum cum Acarnanibus gerentibus, supplici prece adisse. Hell. IV, 6, 3 vero Achivi Lacedaemoniis minati esse traduntur, se foedere neglecto in adversariorum partes esse concessuros, nisi sibi ad bellum Acarnanibus inferendum subsidio mitterent auxilia. Quos igitur rerum scriptor cum Lacedaemoniis foedere iam coniunctos fuisse tradit, eisdem societatis cum illis ineundae cupidus fuisse narrat laudator. Neque enim probanda sunt quae Hagenio¹⁾ adversans de hoc loco profert Beckhausius²⁾, cum in hunc modum disputat: „Die Worte *προθύμων ὄντων εἰς τὴν συμμαχίαν* sind von der Bereitwilligkeit zu verstehen, mit der die Achaeer ihren Pflichten der Heeresfolge gegen die Spartaner nachkamen.“ Nam qui opinione non praeiudicata ad haec verba accedet, talem interpretandi rationem certe mecum iudicabit violentiorem esse quam quae probetur. Quam maxime vero huic rationi probandae obstare vocabula *μετὰ δὲ ταῦτα* huic, de quo agitur, enuntiato praefixa procul dubio concedet, quicumque laudata Beckhausii interpretatione scriptoris verba in patrium sermonem verterit.

II, 20: *καὶ ἐπιθεμένων ἐν στενοῖς τῶν Ἀκαρνανῶν, καταλαβὼν τοῖς ψιλοῖς τὰ ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτῶν, μάχην συνάπτει· καὶ πολλοὺς ἀποκτείνας αὐτῶν, τρόπαιον ἐστήσατο, καὶ οὐ πρότερον ἔληξε, πρὶν μὲν Ἀχαιοῖς φίλους ἐποίησεν Ἀκαρνανᾶς καὶ Αἰτωλοὺς καὶ Ἀργεῖους, ἐναντῖ δὲ καὶ συμμαχοῦς.*

Hoc quoque loco Hagenius³⁾ complura deprehendisse sibi videtur, quae cum Hellenicis pugnent. Quae vero his verbis disputat non ad unum omnia ita sunt comparata, ut possint probari. Primum enim parum respicere videtur vir doctus laudationis naturam, quod eundem, qui in proelio in Acarnanum finibus commisso cecidisse tradat⁴⁾ trecentos, dicere posse negat interfectos esse eodem proelio multos. Neque minus futilis est ea eiusdem sententia, qua Xenophontem, qui Agesilaum altero demum anno invasisse in Acarnaniam Hell. IV, 7, 1 narret, scribere non posse contendit *καὶ οὐ πρότερον ἔληξε, πρὶν κτλ.* Recte enim mihi videtur debilitare hanc viri docti dubitationem Beckhausius⁵⁾, cum dicit: „Dafs in einem so kurzen historischen Bericht fortgefahren wird „und er hörte nicht eher auf . . .“ ist nicht bedenklich.“ — Sed restat quod displicet Hagenio idque, ut videtur, iusta de causa. Dicuntur enim hoc, de quo agimus, laudationis loco velites Agesilai imperio subiecti in

¹⁾ l. l. pag. 42.

²⁾ l. l. (Progr.) p. 6.

³⁾ l. l. pag. 42—46.

⁴⁾ Hell. IV, 6, 11.

⁵⁾ l. l. (Progr.) pag. 6.

proelio cum Acarnanibus commisso loca tenuisse superiora; Hellenicorum vero loco laudato Acarnanes, non Agesilai copiae, in locis editis collocati fuisse traduntur, neque velutum ulla fit mentio.

II, 21: Ἀγισίλαος ἀντεῖπε τῇ εἰρήρῃ, ἕως τοὺς διὰ Λακεδαιμονίους φυγόντας Κορινθίων καὶ Θεβαίων ἠγάγασε τὰς πόλεις οἴκαδε καταδέξασθαι.

Offendit hoc loco Cauerus¹⁾ in eo, quod Agesilaus paci, quae Antalcidae nomine notatur, restituisse dicitur, quoad et Corinthios et Thebanos eos urbe recipere coegerit, qui propter Lacedaemoniorum amorem patria essent expulsi. Verum enim his verbis referre laudatorem de Corinthiis, falsum de Thebanis. Idem comprobantem audias Hagenium.²⁾ „Quod de Corinthiis tradit, ait ille, ex parte congruit cum Hell. V, 1, 33 sq. De Thebanis vero omnino falsa tradidit noster: neque enim, si profugos recipere, promittebat pacem Agesilaus — nulli enim erant omnino illo tempore Thebanorum profugi nec usquam traditum — sed si Boeotiae oppida autonomia frui sinerent.“³⁾ Hanc discrepantiam ita tollere sibi videtur Groteius⁴⁾, ut, etsi in Historia Graeca nihil referatur de Thebanorum exsilibus, tamen verisimile esse statuat multos eorum sub Agesilao duce militasse, quibus reditum in patriam liberum esse ille nimirum voluerit. Ut autem, quod coniectura assequitur ille, verum sit, tamen non omnia, ut videntur, ad liquidum perducta sunt. Corinthii enim, ut expulsos urbe recipere, non inviti fecisse narrantur Hell. V, 1, 34; iidem, ne acciperent hanc pacis condicionem, recusasse (ἀντεῖπε . . . , ἕως ἠγάγασε) perhibentur laudatione. Miror autem, quod, qui de hoc laudationis loco disputant, hac in re nihil haerent.

Hi loci re vera discrepant ab Hellenicis caduntque in eos quae huic disputationis parti fusius tractata praemisimus. Accedunt vero quae sunt gravissima. Narrantur enim his Historiae Graecae et laudationis locis res exacto iam anno 394 gestae. Pugna autem Coroniensi (394) facta Xenophon omissa militia in agros possessionesque se contulit, satis habens animo sequi eum, cuius ad id tempus fidelissimus fuerat socius. Diversis igitur et qui repugnarent inter se nuntiis de Agesilai rebus gestis, ut videtur, edoctus critica ratione non adhibita alia memoriae tradidisse statuendus est in Hellenicis, alia in Agesilao, quod iudicium certe non vetamur probare neque Hellenicorum laudationisve natura, neque ipsius Xenophontis indole atque ingenio. Neque neglegendum est ne illud quidem, quod conscripsit Xenophon laudationem octoginta senex annorum. Nam cum Agesilaum anno 360 e vita discessisse et laudationem eo vixdum mortuo scriptam esse pro certo possit affirmari, Xenophon accessit ad celebrandas encomio amici virtutes summam procul dubio senectutem iam adeptus. Quae cum ita sint, discrepantias, de quibus supra dixi, minime sufficere puto ad comprobendam sententiam eorum, qui encomium abrogant Xenophonti; immo laudo Blassium, cum disputationi de Agesilao institutae finem imponat hisce verbis:⁵⁾ „Ist die Leistung nicht voll-

¹⁾ Beckh. l. l. (dissert.) pag. 12.

²⁾ l. l. pag. 41.

³⁾ Hell. V, 1, 32 et 33.

⁴⁾ Griech. Gesch. V, pag. 309

⁵⁾ Blass, die attische Beredsamkeit. vol. II. pag. 451 et 452.

kommen genug, so reicht doch wahrlich die Schwäche des Alters und mangelhafte Durch-
bildung, wie sie bei den meisten Xenophontischen Schriften vorliegt, zur Erklärung aus.
Historische Versehen aber, *die eine Abfassung durch Xenophon ausschließen*, lassen sich
im Agesilaus nicht nachweisen.“

Id igitur, ut summam tamquam faciamus disputationis, effecisse nobis videmur, qui
nitentes hisce, de quibus supra diximus, argumentis abiudicent laudationem a Xenophonte,
eos non uti prudentia atque sagacitate neque esse in illis, quod, ut de scriptore cogitemus
a Xenophonte alieno, postulare videatur. Quodsi quae scripsi viris doctis erunt probata, alte-
ram disputationis partem favente deo mox foras dabo.